



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies octavus et nonus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1865 [erschienen] 1866

De SS. Attico, Luddulo Seu Lugdulo, Septimo Et Julio Martyribus Ex
Hieronymianis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72229)

- A b Vox persecutio abundat. Deest in Ms. Trev. que consilere statuerant, hæc imperatori dixerint? Ex Ms. FELD.
- c Lege: a sacrilega dæmonum cultura separare medita bantur.
- d Lege: si quos invenisset: codex Trev. habet: si quis invenisset.
- e Ita etiam codex Trev.
- f Vitiose codex Trev. una hora.
- g Lege: ictu oculi.
- h Ita codex uterque: videtur aliquid deesse.
- i Codex Trev. et vel si inter homines imperator coronatus est.
- k Codex Trev. facerent.
- l An qui a Maximiani ira sibi cavere, fuga
- m Codex Trev. sua in præsentia.
- n De Claudia via consule Comment. præv. num. 3 et seq.
- o Codex Trev. habet sexto.
- p Vide Syll. num. 2.
- q Vide Syllogen num. 8.
- r In codice Trev. deest eum.
- s Nihil de corpore S. Domnini codex Trev.
- t Codex Trev. habet depositus est.
- u Trev. VIII Idus Octobris. Barberianus VII Idus.

DE SS. ATTICO, LUDDULO

SEU LUGDULO, SEPTIMO ET JULIO MARTYRIBUS

EX HIERONYMIANIS

B

J. B.

ALIQVO E IV
PRIMIS SECU-
LIS.

Sanctum Atticum ejusque Socios martyres editum a Luca Dacherio vetustum, ac S. Hieronymi nomine inscriptum Mr. hoc ad hunc diem modo annuntiat: Et alibi, Attici, Ludduli, Septimi, Juli, non expressa eorum palæstra. Labbeanum apud nos tom. VII Junii solius Septimi meminit, hac ex parte procul dubio mutilum: contra, quod Florentinius edidit, Attico Socios adjungit quatuor; lucatis nonnihil eorum nominibus, ita habet: Et alibi, Attici, Budduli, Ludoni, Septimi, Julii. Dacheriano Corbeiense apud eundem Florentinum omnino consonat. Addit Florentinius, et codices alios a se fuisse consultos, in quibus pro Lugdunio Lugdulus sive Luddulus scribitur, unde Ludduli nomen varie scri-

ptum corruptumque fuisse manifestum est, ac suspicio mihi non inanis injicitur, simili corruptione factum esse, ut unus idemque Luddulus in Buddulum, Luddonumque librorum imperitia distinctus perperam fuerit; quod etiam suadere maxima Budduli Luddulique nominum videtur affinitas. Dacheriano itaque ac Corbeiensi exemplaribus potius, quam Florentinii, quod quatuor S. Attico Socios tribuit, standum apparet. Quando, aut ubi hi Martyres sanguinem pro Christo fuderint, non fuit, unde vel leviter conjectare licuerit: seculo itaque determinato illos non adscripsi, ommissa insuper loci, quo occubuerint, mentione.

DE SS. MARCELLO SEU MARCELLINO

GEMINO SEU GENUINO, NUVIO SEU NIVIO, PRIMINA MM.

ROMÆ

EX HIERONYMIANIS

En alteram ex iisdem, Hieronymianis, ut vocant, Martyrologiis Martyrum classem, quæ Romæ ad hunc modum annuntiat apud Florentinum: Romæ Marcellini, Genuini, Nuvii, et inter duos Lauros sancte Primine. Martyrologium Corbeiense paulo aliter habet: Romæ, Marcelli, Genuini, Nuvii, Justi. Inter duas Laurus sancte Primine, Custi, Julii. Custus, hic memoratus, idem forte est, qui Justus; Julius vero idem, qui in classem superiorem re-

latus est; quare ceteris hoc loci neutrum adjiciendum putavi. Corbeiensi consonat vetustum Hieronymi Martyrologium apud Dacherium. Legitur tamen illic Primiva pro Primina. Gellonense apud eundem sic habet: Alibi Afræ, Primine. Roma Marcellini et Genuini. Martyrologium antiquissimum a Martenio editum tom. 3 Anecdotorum ad hunc diem solius Marcellini meminit. Augustanum autem apud nos tom. VII Junii editum solius Genuini. Labbeanum Septimum